

rum, et ideo non convenit malo culpæ per se loquendo. Quia culpa non est ardua voluntati, sed in tantum est culpa in quantum voluntaria, ejus tamen effectus maxime timeri possunt, sed objectum timoris est malum pœnæ, et malum naturæ, et de hoc agit quæstione XLII. Tertio, agit de causa timoris ex parte ipsius timentis, de quo tractat quæstione XLIII. Quarto, agit de effectibus timoris, qui mediante imaginatione causantur non solum in appetitu, sed etiam in ipsius viribus corporis per retractionem spirituum, de quo agit quæstione XLIV.

Quarta passio irascibilis est audacia, cujus naturam, causas, et effectus considerat quæstione XLV.

Quinta passio est ira in qua considerat tria. Primo, ejus quidditatem, et species in quas dividitur, scilicet fel, mania, et furor, de quibus agit quæstione XLVI. Secundo, considerat ejus causas ex quibus, vel originatur, vel crescit præsertim ex aliqua injuria, vel parvipensione, de quo quæstione XLVII. Tertio, considerat effectus iræ, causat enim fervorem cordis, perturbationem usus rationis, et similia, de his agit quæstione XLVIII. Et sic finitur tractatus de actibus humanis.

## TRACTATUS SECUNDUS.

Ad hunc tractatum, ut supra diximus pertinet agere de principiis actuum humanorum non quibuscumque, ut ibi diximus, sed de principiis moralibus efficientibus, sive intrinsicis, sive extrinsecis; intrinsici sunt habitus, vel virtuosus, vel vitiosus a quibus actus humani procedunt. Principia vero intrinsicæ sunt ea, quæ nos movent, vel instruendo per legem, vel adjuvando per gratiam. Igitur ad tractandum de habitibus procedit D. Thomas

more solito a communibus ad minus communia, et ita prius tractat de habitibus in communi, deinde de habitibus virtuosus in speciali. De habitibus in communi tractat quatuor; primo, quidditatem habituum, et necessitatem ponendi illos, quæstione XLIX. Secundo, subjectum cui conveniunt, tam ex parte naturæ quam disponunt, quam ex parte potentiarum cum quibus operantur, de quo agit quæstione L. Tertio, considerat causas habituum tripliciter. Primo, quantum ad esse et substantiam eorum, ut quod sint naturaliter acquisibiles, vel ex infusione, etc. quæstione LI. Secundo, quantum ad augmentum, sive in intensione, sive in extensione quæstione LII. Tertio, quoad diminutionem seu corruptionem quæstione LIII. Denique, considerat circa habitum in communi rationem unitatis, multitudinis, et divisionis, ostendens in una potentia posse esse multos habitus, unum autem habitum non componi entitative ex pluribus; distinctionem vero eorum sumit ab objectis; divisionem vero ut ad præsens attinet, sumit penes bonum et malum, et de his agit quæstione LIV.

Post considerationem vero habituum in communi, agit de illis in speciali non descendendo ad species atomas, id enim tractatur in secunda secundæ, sed penes genera, et rationes, atque conditiones generales virtutum et vitiorum, de virtutibus quidem usque ad quæstionem LXXII, de vitiis vero, et peccatis a LXXI, usque ad XL.

Circa virtutes ergo primo, considerantur duo genera principalia virtutum; quædam procedunt communi, et ordinario modo in regulando, et movendo actus humanos, quædam secundum altiore instinctum, et regulationem Spiritus Sancti, et primæ vocantur virtutes, secundæ dona.

In virtutibus considerat D. Thomas quinque. Primo essentiam. Secundo subjectum. Tertio divisionem penes diversa genera. Quarto causas virtutum. Quinto proprietates generales earum.

Circa naturam virtutis in communi colligit Div. Thomas ejus definitionem, et quidditatem discurrendo per ejus partes, scilicet quod sit habitus seu qualitas, quod est genus, quod sit operativus, quæ est differentia ultimate constitutiva virtutis, et de hoc agit quæstione LV.

Circa subjectum virtutis, in primis cum sit habitus operativus, rejicit D. Thomas a subjecto virtutum id quod operativum non est, sed solum potentias animæ pro subjecto virtutum assignat, quæ sunt capaces operationis, cum aliqua indifferentia. Et istæ sunt voluntas, appetitus sensitivus, et intellectus; sed cum hac differentia, quod virtutes voluntatis, et appetitus non solum reddunt operationem ipsam perfectam, et bonam, sed etiam operantem, quia rectificant inclinationem totius suppositi quantum ad usum, et executionem operandi. Virtutes autem intellectuales reddunt quidem operationem rectam in attingendo verum ex parte objecti, sed non reddunt subjectum rectificatum quoad inclinationem, et executionem operandi. Et de hoc agit quæstione LVI.

Circa distinctionem, seu divisionem virtutis, distinguit in primis D. Thomas generaliter tria genera virtutum, quædam enim sunt intellectuales, aliæ morales, aliæ theologice, eo quod homo, vel perficitur quoad intellectum modo naturali, et hoc facit virtus intellectualis, vel moraliter quoad voluntatem, et appetitum in ordine ad finem naturalem, et hoc facit virtus moralis acquisita; vel perficitur modo supernaturali, sive in intellectu, sive

in voluntate, et sunt virtutes theologice ad quas sequuntur aliæ infusæ.

Igitur omnia genera virtutum intellectualium tractat D. Thomas unica quæstione. Sunt autem quinque genera harum virtutum, tres perficiunt partem speculativam, scilicet habitus seu intellectus principiorum, sapientia, et scientia. Duo vero perficiunt intellectum practicum, scilicet prudentia quæ perficit in ordine ad agibilia, id est, ad dirigendos actus morales hominis, et ars quæ perficit in ordine ad factibilia, id est, opera ipsa, seu effectus per certas regulas faciendos. Solum enim isti habitus important certitudinem, et rectitudinem circa verum, alii autem habitus incerti possunt declinare ad falsum, et ita non reddunt intellectum perfectum circa suum objectum quod est verum; virtus autem est dispositio perfecti. Et de his tractat quæstione LVII.

Secundum genus virtutum, sunt virtutes morales, in quarum distinctione explicanda discurrit penes quatuor habitus, quæ in illis considerari possunt. Prima est ad id a quo habent formam, et modum, scilicet ad prudentiam. Secunda habitudo est ad id a quo habent materiam moderandam, et regulandam scilicet ad passiones, vel operationes. Tertia habitudo est ad species penes quas dividuntur omnes virtutes morales. Quarta habitudo est ad ea, qui faciunt in virtutibus moralibus majorem, vel minorem principalitatem, ex his enim omnibus discernitur id quod pertinet ad distinctionem et divisionem harum virtutum.

Circa primum, ostendit D. Thomas, distingui virtutes morales, non solum ab intellectualibus speculativis, quia morales sunt, sed etiam practicis, id est, a prudentia contra Socratem, qui existimabat omnes

virtutes esse prudentias. Sed tamen virtutes a prudentia recipiunt regulationem penes determinationem medii, et applicationem ad operandum hic, et nunc. Et rursus ipsa prudentia dependet a rectificatione appetitus in materiis virtutum quantum ad intentionem finis, si enim aliquis rectam intentionem non habet, nec ex illa movetur, prudenter judicare non poterit. Rectificatio autem intentionis in materiis virtutum ad ipsasmet virtutes pertinet, non secundum actum consummatum, et ultimum qui est electio, quia virtus moralis est habitus electivus, sed quantum ad actum primum, et inchoatum quo disponitur appetitus a virtute erga finem circa suam materiam, in quo actu movetur non a prudentia, sed a syndæresi quæ respicit principia universalissima, et bonum in communi. Et sic de distinctione virtutum a prudentia, et dependentia prudentiæ a virtutibus agit quæstione LVIII.

Circa secundum, materia virtutum moralium est duplex, quædam enim virtutes ordinant operationes, seu motus voluntatis, quædam vero passiones, seu motus appetitus sensitivi. Passiones autem vel sunt inordinatæ et excedentes regulam rationis, vel ordinatæ et subiectæ regulis, vel considerantur, ut ordinabiles, et susceptivæ regulationis. Primo modo non sunt materia virtutis, sed contrariantur illi. Secundo modo sunt actus elicitus a virtute, ideo enim ponitur virtus in appetitu sensitivo ut producat passiones moderatas, seu regulatas. Tertio modo sunt propria materia virtutum, quia considerantur ut susceptivum formalis rationis virtutis, quæ est regulatio. Virtutes autem quæ versantur circa operationes voluntatis ut justitia, continentia, et similia non habent passiones pro materia regulanda, bene

tamen possunt habere illas pro affectibus quatenus ex superiori parte redundat motus in inferiorem. Et sic de ista comparatione virtutum ad suam materiam, et de distinctione earum penes diversas materias regulantes, agit quæstione LIX.

Circa tertium, supponit virtutem moralem in voluntate, et appetitu non esse tantum unam, sed plures juxta diversas materias diverso dictamine, et modo regulabiles, licet ab una virtute regulante, scilicet prudentia omnia illa dictamina procedant, quia in uno fine vitæ humanæ uniuntur, sed in diversis materiis regulandis diversimode recipiuntur regulationes. Et sic divisio virtutis moralis in suas species sumitur ex diversitate materiæ proximæ. Quædam enim ut diximus moderantur operationes voluntatis, quædam passiones appetitus. Quæ moderantur operationes voluntatis vel respiciunt operationem erga alterum in ratione debiti, et æqualitatis faciendæ, et sic pertinent ad justitiam, ex qua iterum diversæ virtutes oriuntur secundum diversam rationem debiti, vel æqualitatis reddendæ, quæ in secunda secundæ quæstione LXXX numerantur; vel ordinat operationes voluntatis erga se ut continentia, humilitas, et similia. Virtutes autem quæ versantur circa passiones diversificantur, non solum juxta diversitatem passionum cum possit una virtus duas passiones extremas moderari, sed juxta diversam difficultatem, et dictamen regulandi aliquam passionem. Et sic numerat Divus Thomas hic decem virtutes morales circa passiones, scilicet fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia, id est, amor honoris, mansuetudo, amicitia, veritas, eutrapelia, quas et plures alias in speciali tractabit in secunda secundæ,

nunc autem solum in generali indicat illas in hac quæstione LX.

Circa quartum, distinguit virtutes morales penes principales, et minus principales. Principalitas autem in virtutibus moralibus potest considerari, vel per comparisonem ad intellectuales, vel per comparisonem moralium inter se, vel per comparisonem ad diversos status quorum unus est principalior. Primo modo virtutes morales sunt magis principales in officio, et ratione virtutis, quia rectificant ipsum usum, et exercitium inclinationis, a qua simpliciter homo denominatur bonus et rectus. Virtutes autem intellectuales in ratione operationis, et attingentiæ objecti sunt principaliores, quia attingunt objectum abstractius, et immaterialius, scilicet verum. Si secundo modo fiat comparatio inveniuntur quatuor virtutes cardinales, seu principales in moralibus, scilicet prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Quæ dicuntur principales, quia principaliores, et difficiliore materias in moralibus moderantur; illæ vero virtutes dicuntur minus principales seu potentiales, quæ in eodem modo operandi minus difficiliore materias moderantur; vel etiam dicuntur cardinales quia præcipue in eis salvantur conditiones requisitæ ad virtutes, scilicet discretio, rectitudo, moderatio, et firmitas. Si denique tertio modo consideretur principalitas in virtutibus secundum diversos status quos potest eadem virtus habere, distinguuntur in virtutes politicas, quæ solum respiciunt communem modum operandi in convictu humano, et in purgatorias purgati animi, et exemplares, quæ distinctio sumitur secundum elevationem a convictu humano ad tendentiam, et assimilationem ad Deum quæ in statu incipientium sunt purgatoriæ, in statu perfectorum pur-

gati animi, in statu divino exemplares, et de his agit quæstione LXII.

Post virtutes morales sequitur tertium genus virtutum, scilicet virtutes theologicæ, quæ distinguuntur ab intellectualibus, et moralibus, eo quod per illas ordinatur homo in altiorem finem, scilicet in beatitudinem supernaturalem, qui cum excedat omnes vires naturæ, oportet superaddi homini principia aliqua supra naturam, quæ ordinant illum ad talem finem. Et talia principia, quia respiciunt ipsum Deum in se, qui est finis supernaturalis dicuntur virtutes theologicæ, et sunt tantum tres, quia ad tendendum in finem debet perfici intellectus, et voluntas; intellectus quidem per supernaturalem revelationem quæ cognoscat finem istum supernaturalem, et hæc est fides, quæ est prima virtus theologica. Voluntas autem indiget perfici dupliciter, primo, per intentionem ad fidem, ut assequendum qui cum sit ita excedens respicitur a voluntate, ut arduus, et sic perficitur per spem. Secundo, ordinatur ad finem per amorem perfectum adhærendo illi, et uniendo se illi, et hoc facit caritas, et de hac distinctione virtutum agit de quæstione LXIII.

Post explicatam essentiam virtutum, subjectum, divisiones varias, sequitur agere de causis, et proprietatibus virtutum, et loquitur de causa efficiente per quam in nobis causatur virtus, vel ex assuetudine operum in virtutibus acquisitis, vel ex infusione in supernaturalibus, et de hoc tractat quæstione LXIV.

Ultimo, agit de proprietatibus virtutum, quæ sunt quatuor. Prima, est habere medium evitando per regulationem excessum, et defectum in materia regulabili. Secunda, est habere connexionem inter se ratione principii a quo omnis illa re-

gulatio provenit, scilicet a prudentia. Tertia, est habere inæqualitatem inter se, eo quod materia regulabilis diversimode participat ordinem rationis. Quarta, est habere permanentiam, vel in hac vita, vel etiam post illam, licet sub alio statu propter permanentiam subjecti, quod est anima. De prima ergo proprietate, scilicet de medio virtutum, quod convenit omnibus virtutibus moralibus, quia materia earum moderabilis est, et potest per excessum, *vel per defectum cadere a medio rationis*, non autem convenit virtutibus theologiceis, quæ respiciunt pro materia ipsam regulam quæ est Deus, non id quod est regulabile, et defectibile ab illo, agit quæstione LXIV.

De secunda vero proprietate, quæ est connexio virtutum quæ illis convenit non ratione materiæ quam moderantur, quæ sunt distinctæ passionem non habentes inter se connexionem: neque ratione formæ specificantis quæ sunt diversa objecta formalia virtutum, sed ratione formæ ordinantis, et dirigentis, quæ præbet statum modumque virtutis et hæc est prudentia ad quam requiritur rectificatio intentionis in omni materia virtutum ut omnes possit dirigere in recta electione. Uniuntur etiam virtutes in altiori forma ordinante illas ad finem supernaturalem, quæ est charitas ad quam requiruntur omnes virtutes quia charitas implet totam legem, possunt tamen manere virtutes in statu imperfecto, et quoad entitatem sine connexione inter se, agit inquam de hac proprietate quæstione LXV.

De tertia proprietate, scilicet de inæqualitate virtutum, sive comparando intellectuales cum moralibus, sive theologales cum utrisque, sive morales inter se, quæ etiam inæqualitatem habent licet ab uno prin-

cipio, quod est prudentia regulentur, in se tamen diversam regulationem et diversam rationem formalem secundum bonum rationis recipiunt propter modum ordinem materiæ regulabilis, agit quæstione LXVI.

De quarta proprietate ostendit quænam virtutes permaneant post hanc vitam, et quæ non, nam aliquæ simpliciter evacuatur, ut fides et spes propter defectum objecti, quod est non visum non possessum, et similiter virtutes appetitus sensitivi propter defectum subjecti non manent in anima separata. Aliæ vero virtutes, mutant modum, et statum propter diversum modum operandi animæ separata, et de hoc agit quæstione LXVII.

Hucusque egit Div. Thomas de virtutibus, quæ proprie virtutes sunt. Restat agere de illis quæ excedunt communem regulationem virtutum, eo quod ab altiori mensura proveniunt, quia non regulantur immediate per regulas rationis, et ordinarium modum operandi ejus, sed per regulam, et motionem Spiritus Sancti, et ideo vocantur dona, quia supra debitum modum humanum mensurant. De quibus agit tria. Primo, de ipsa natura talium donorum, et distinctione a virtutibus, eorumque numero. Deinde, de duplici genere actuum, qui ex illis sequuntur scilicet beatitudines, et fructus Spiritus Sancti.

Circa primum, considerat Divus Thomas, quod virtus cum sit perfecta dispositio potentiæ, et ultimum, quod potest, illa proprie dicitur virtus, quæ in eodem ordine potentiæ illam perficit, quia ultimum in aliqua re est ejusdem rationis, cum eo cujus est ultimum. Si vero ultra modum, et ordinem talis potentiæ eleve, plus est quam virtus, et est donum Dei speciale, et hac ratione omnes habitus super-

naturales dici possunt dona Spiritus Sancti. Sed adhuc inter ipsos est differentia, quia aliqui habitus supernaturales licet quoad substantiam, id est, respectu objecti et finis a quo specificantur supernaturales sint, adhuc tamen in modo regulandi mensurantur mensura accomodata modo rationis, quam scilicet potest assequi ratio illustrata lumine supernaturali. Si vero sint aliqui habitus, qui inclinent ad sequendam motionem Spiritus Sancti, non coarctatam ad regulas ordinarias, modumque limitatum rationis, sed juxta mensuram, qua ipse mensus fuerit, tales habitus, et quoad substantiam, et quoad modum excedunt rationem virtutis, et speciali modo dicuntur dona, et Isaiaë xi vocantur spiritus, quia non ex industria et modo humano, sed ex motione, et spiratione Spiritus Sancti speciali modo regulantis movetur mens, ita quod diversa motio non effectiva tantum, sed regulativa discernit dona Spiritus Sancti a virtutibus, quæ etiam dona dicuntur quantum ad infusionem. Et sic supponit hominem esse conjunctum Spiritui Sancto per gratiam, et virtutes theologicas, ut sit facile mobilis ab ipso. Deinde vero perficit et movet Spiritus Sanctus universaliori modo intellectum et voluntatem, intellectum quidem per quatuor dona, quæ elevat mentem ad cognoscendum de Deo, et consiliandum de agendis; donum quidem intellectus penetrando res revelatas a Deo, donum vero scientiæ de illis judicando ex effectibus ut a Deo, donum vero sapientiæ ex gustu et experientia divinorum de illis judicando, donum vero consilii discernendo de agendis. In voluntate autem perficiunt tria dona, nam circa omnia, quæ sunt ad alterum movetur homo per donum pietatis quatenus per gratiam considerat Deum,

ut Patrem, et alios homines ut fratres; quoad ea vero quæ pertinent ad concupiscibilem perficitur per donum timoris, qui retrahit a concupiscentia mala. Quoad ea vero quæ pertinent ad irascibilem perficitur per donum fortitudinis. Et de his agit quæstione LXVIII.

Quoad secundum vero, tam beatitudines, quam fructus dicuntur actus bonorum, sed beatitudines dicuntur actus excellentissimi, qui ex motione speciali Spiritus Sancti appropinquant, et assimilant hominem ad beatitudinem consummatam, quæ est in patria, a cujus propinquitate, et spe isti actus denominantur beatitudines, et numerantur octo a Christo Domino, Matthæi v. Sicut paupertas spiritus, quæ totaliter exiit cor hominis a quacumque creatura, est excellentissimus actus a dono Spiritus Sancti procedens, et sic de aliis. Fructus autem dicuntur actus donorum, sed non ita excellentes, et speciales sicut beatitudines, sed magis communes, et ordinarii, et numerantur duodecim ab Apostolo ad Galatas v: *Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, etc.* De primis agit quæstione LXIX, de fructibus vero quæstione LXX.

Post tractatum de virtutibus restat agere de vitiis et peccatis, de quibus tractat D. Thomas a quæstione LXXI usque ad xc hoc ordine. Primo, considerat peccatum secundum absolutam considerationem, et essentiam suam; deinde, secundum ea, quæ sibi conveniunt per comparisonem, et habitudinem ad extrinseca. Quæ pertinent ad essentiam peccati, et an sit actus, vel habitus, et quomodo sit contra virtutem, et contra radicem virtutis, quæ est natura rationis, agit quæstione LXXI. Quantum vero ad habitudines considerat D. Thomas quinque habitudines, quas dicit peccatum ad extrinseca. Prima, per com-

parationem ad objecta, et circumstantias, et alia principia quibus distinguuntur peccata. Secunda, per comparisonem peccatorum inter se quantum ad gravitatem, paritatem, inæqualitatem, etc. Tertia, per ordinem ad subjectum capax peccati. Quarta, per ordinem ad causas peccatorum. Quinta, per ordinem ad effectus.

De prima habitudine tractat quæstione LXXII discurrens per omnia principia quæ possunt distinguere peccata loquendo in genere, v. g. objectum, circumstantiæ, effectus, damnum secutum, causæ et alia similia. De secunda habitudine scilicet de gravitate, et inæqualitate peccatorum, et causis aggravantibus peccata agit quæstione LXXIII. De tertia habitudine, scilicet de subjecto agit quæstione LXXIV. Non quidem de subjecto quod seu supposito, sed de subjecto quo seu potentiis capacibus peccati; directe enim et per se loquendo sola voluntas, quæ est potentia libera est capax peccati, participative autem etiam aliæ potentiæ, quæ libertatem aliquam participant.

Quarta habitudo peccati est ad causas quasi effectivas, aut disponentes (materialis enim pertinet ad subjectum, et finalis ad finem, de quibus jam actum est, formalis autem ad specificationem, de qua agitur tractando de singulis speciebus in secunda secundæ. Et primo agit de causis peccati in generali. Secundo in speciali. In generali distinguit causam interiorem, et exteriorem peccati. Interior quidem causa, alia est quantum ad specificationem ex parte objecti, alia quantum ad exercitium ex parte subjecti. Ex parte objecti, causa est bonum apprensens dissonum rationi. Sed quia bonum non movet nisi ut propositum, concurrunt ex parte objecti ratio proponens cum defectu, quia de-

beret illi actui adhibere regulationem, et non adhibet. Dispositive autem ad objectum sic proponendum concurrunt sensus, tam exterior, quam interior, et appetitus sensitivus, quia qualis unusquisque est, talis finis videtur ei, et ita diversimode apparet objectum ex diversa dispositione appetitus, et passionis. Ex parte autem subjecti concurrunt voluntas ut libera, quia est potentia inclinativa totius subjecti. Causa autem exterior, vel potest esse exterius efficiens, vel disponens, vel finalizans. Externum movens, vel efficiens, si moveat præcise proponendo; potest esse quicumque persuadens, vel manifestans, aut proponens objectum; si autem moveat intra voluntatem efficiendo est solus Deus. Denique, per modum disponentis, aut finalizantis unum peccatum potest esse causa alterius, vel quatenus unus actus disponit ad alterum sibi similem, vel quatenus unus actus præbet alteri materiam, ut gula libidini, avaritia litigio, vel quatenus unus finalizat alium, ut qui furatur propter fornicationem, qua ratione ex vitiis capitalibus, quia sunt magis appetibilia, oriuntur alia. Et de his causis in generali agit quæstione LXXV.

De causis autem in particulari, primo agit de interioribus, deinde de exterioribus. Interiores causæ sunt tres, scilicet ratio proponens, appetitus sensitivus alliciens, et disponens ad propositionem objecti, et voluntas prave disposita. Ex parte quidem rationis clarum est, quod ratio ipsa per se concurrunt, sed oppositum rationis, quod est ignorantia practica, et defectus rectæ regulationis, seu inconsideratio, et de hac ignorantia agit quæstione LXXVI.

Ex parte vero appetitus sensitivi passio movet voluntatem quasi per accidens, et mediate, vel distrahen-

do rationem, aut impediendo illam si fortis sit, vel alliciendo, et faciendi apparere objectum conveniens per propositionem phantasmatum, et commotionem. Et sic quomodo passio sit causa peccati, et quomodo alleviet, vel excuset peccatum, aut etiam trahat ad consensum deliberatum, de his et similibus agit quæstione LXXVII.

Ex parte voluntatis movet ad peccandum malitia, quæ est inordinata, et prava dispositio voluntatis, qua afficitur ad bonum temporale, seu creatum, non curando de dispendio spirituali, et sic facit iudicare practice intellectum, ut inter duo bona, alterum spirituale, et merum temporale, et minus, potius velit pati dispendium in bono meliori sciens esse melius, quam dimittere minus propter adhæSIONEM voluntatis ad illud, et tunc ex certa electione dicitur peccare, id est, eligere defectum, ut quid minus, et quasi ex industria recedere a Deo propter malam dispositionem, et habitum pravam voluntatis, et ideo qui peccat ex habitu, peccat ex certa malitia, et de hoc agit quæstione LXXVIII.

Secundo, agit de causis exterioribus moventibus, causæ autem exteriores sunt, vel Deus efficienter agens, vel diabolus, aut homo suggestionem, aut persuasionem moventes. De Deo quomodo influat non in peccatum, sed in entitatem ipsam peccati causando pure efficienter illam, et quantum ad id quod positivum, et perfectum est, et a virtute naturæ, atque etiam ab auctore naturæ procedens, non autem deficienter, et deficientiæ a Deo, et a natura rationali: ita quod nec in ipsummet positivum influit, ut fundat defectum, et reducitur ad principium deficientem, et ex nihilo. De hoc agit quæstione LXXIX. De diabolo autem quomodo sit causa pecca-

ti, scilicet tentando, et suggerendo, id est, movendo ex parte propositionis objecti, aut etiam immutando phantasmata, et species imaginativas agit quæstione LXXX.

De homine autem distinguit quomodo sit causa peccati, potest enim homo esse causa peccati in altero homine suggerendo, et ponendo objectum, et de hoc non est specialis difficultas, sed movet eo modo quo diabolus, licet non ita subtiliter alio modo causat peccatum in alio homine traducendo illud per generationem, quod est peccatum originale a quo cætera quodammodo causantur, in quo tria considerantur. Primo, ejus traductio quomodo videlicet ex uno derivetur ad alium. Secundo, ejus essentia. Tercio, ejus subjectum. Traductionem ostendit esse possibilem, quia licet peccatum sit defectus voluntarius, tamen si sit peccatum naturæ, sufficit quod sit voluntate naturæ, seu principii propagantis naturam, non voluntate propria personæ propagatæ. Voluntas enim naturæ est voluntas capitis totius naturæ, cujus actio voluntarie elicitur habet voluntarium effectum in omni natura a se derivata, et propagata, quæ se habet sicut membrum. Et ita peccatum traductum non est peccatum actuale, seu per modum actus, iste enim traduci non potest in parvulum, qui nihil operatur, sed est peccatum per modum effectus traducti a primo capite quod terminative non elicitive dicitur voluntarium, quia est terminus quidam, id est, privatio, seu macula ab actu voluntatis peccatis, quæ fuit in primo capite in quo fuerunt omnes aliæ voluntates virtualiter tamquam voluntates hominum propagandorum ab alio, et de hoc agit quæstione LXXXI.

Ex hoc autem consideratur essentia hujus peccati quod non est pec-